



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

XX. Quia non solùm ipsa in se, sed etiam in suis imaginibus est admirabilis
Thaumaturga.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

solito fervore orat, quem acuebat prælagus quidam horror, & metus suspectæ viæ. O misericordia Marris! sopitur mulier, Virgo illius figuram formamve assumit, & militem comitatur: venitur ad feralem lucum, ad nundinas æternitatis: sed en genij advertentes quam ille sociam duceret, ejulant, clamant: infidelitatis, proditiōis militē arguūt, qui pro uxore Matrem Dei adveheret: & subito in fumum abeunt. Insuper monentur à Virgine, nè in posterum in devotam mulierem quidquam audeant. His visis miles funestum agnoscit statum, jubetur que uxorem in templo sopitam querere: cum qua deinde in obsequio Virginis vixit piē, nec egenē. *Bernard. serm. de Verbis Apoc.* Nihil austerum in Virgine, nihil terribile, tota suavis est, omnibus misericordiæ sinum aperit, ut de plenitudine ejus accipiant universi, captivus redemptionem, æger curationem, tristis consolationem, peccator veniam, justus gratiam. *Ibid. considerat verba, Amicta sole.* Quemadmodum enim ille sol super bonos, & malos indifferenter oritur, sic ipsa quoq; præterita non discutit merita, sed omnibus se exorabilem, omnibus elementissimam præbet, omnium denique necessitates amplissimo miseretur affectu. *Bonav. in spec. cap. 8.* Quis est super quem sol non luceat? Quis est super quem misericordia Mariæ non respicere? *Bonav. spec. cap. 14.* Quis dubitare potest omnino in charitatis affectionem transisse viscera Mariæ, in quibus ipsa quæ DEUS est Charitas novem mensibus corporaliter requievit? Illa est designata per Sunamitidem 3. Regum quæ Davidem calefaciebat. *Rupert. in Cant. 6.* Porro Sunamitis puella speciosa sola digna est stare coram Deo Rege, ipsumque calefacere, id est bene calentem ejus charitatis gloriam, scilicet remissionem peccatorum obtinere. *Jalot. cap. 3.* Species ignis consistit in ardore, & splendore, in te autem ô Bma Virgo Maria fuit ignis charitatis, ardens & splendens ante Deum, & nos miseros peccatores protegens. *Guilielm. Avernus Episc. Paris. in Rhet. Di. c. 38.* Non præsumat aliquis DEUM, vel Dei Filium se posse habere propitium & benevolum, qui benedictam Matrem suam offensam, aut averfam habuerit. *Bonav. spec. cap. 2.* Magna fuit erga miseros misericordia Mariæ adhuc exultantis in mundo: sed multo major erga miseros erat misericordia ejus jam regnantis in cœlo. Majorem per beneficia innumerabilia nunc ostendit hominibus misericordiam, quia magis nunc hominum innumerabilem miseriam intuetur.

20. Quia non solum ipsa in se, sed etiam in suis imaginibus est admirabilis Thaumaturga.

Quare B. Virgo in his potius, quam alijs locis patrat miracula? in simili respondet S. August. *epist. 137.* Ad ista quæ hominibus visibiliter nota sunt, quis potest
 Mm 2
 ejus

ejus consilium per scrutari, quare in alijs locis hæc miracula fiant, in alijs non fiant? sicut quod *Apostolus* dicit. Non omnes sancti habent dona curationum, nec omnes habent dijudicationem spirituum: ita nec in omnibus memorijs Sanctorum ista fieri voluit ille qui dividit propria unicuique prout vult. Virgo nostra jam est oculis nostris subducta; visibilis tamen in suis imaginibus, de qua *S. Sabbas 2. Julij*, Flamma miraculorum ô Deipara, ex te tanquam paradiso progressa univerti orbis exstant sitim gratiarum, cumulos velut undas volentia, in utilitatem eorum, qui te sincerâ fide colunt. Pergit citatus *S. Sabbas*. En copiam gratiæ inexhaustam! Adeste omnes & corde puro scaturientes, nunc rivos haurite planè Divinos. Sed neque imagines ejusmodi raras, neque se locis inaccessis affixit. *Idea Atlantiæ Mariani Author colligit pag. 16. citatus à P. Clagius in Linda*. In castanea Goriciensis B. Virgo in Germania: in rubo Tureanensis in Moravia: in Sambuco Cheruci in Germania: in Larice Livalest in Germania: in vite Viterbis in Italia: in quercu Foyensis in Germania: in cupresso Constantinop. de qua *Niceph. lib. 14. cap. 46.* in pyro Zirowiciensis in Lithvania: in spinis de Pario in Italia: in nuce Castillonensis in Italia: in cerafo Elarensis in Germania: in nemore Aricima in Italia reperiendam se dedit. Materiam si spectes: nulla fortè ex pretioso metallo, ex lapide rudi, telâ, ligno invenies, si formam: plerumque; symmetria proportioque; nulla, ita propter nos ut nobis sine nostra arte, vel materia beneficiat, sese exinanit. Artifices aliquarum, homines facinorosi, ut illius quæ est Linda in Prussia, particularis factor est, is suspendendus postridiè, noctu à Bma Virgine visitur in carcere; jubetur sculpere ignarissimus artis, Judicibus postridiè ostendere, cum certa absolute, imago fit, absolvitur, jubetur reponere in arbore certo loco: quæ Germanis Linda, latinis Tilia, inde Linden si loco sanctitas. Aliquæ per pecora reperiuntur, ut illa quæ est in Romaniola per scrofam. *Priorem historiam P. Clagius Linda lib. 1. cap. 18. refert: Posteriolem Author Atlantiæ Mariani fol. 100.* Alias boves, alias aliæ animantes, plerasque pastores, etiam facinorosi homines repererunt. Etiam aliquæ imagines perditâ, & truncatâ facie, uti in Lusitania in loco dicto Villa vitiosa, quæ Ducum Brigantinorum sedes est inventæ. De ea sic *Author Atlantiæ Mariani fol. 34.* Magnam partem carie confectam nisi defectum valde notabilem, nulla unquam materia, nulla artificis industria restituere valuit. Imago dicta de Ponte sancto clarissimam miraculis. Cordubæ in Hispania inter annos ficus nodosas radices implexa reperitur, *Idem fol. 71.* Illa conservatrix Ravennæ imago appellata ab arbore, quâ creditis manu elaborata? Cæsar Morandus Civis Ravennas picturæ ignarissimus pinxit; sed dum pingeret, ab omnibus irritus

fuit

sine arte pictor. *Abbat Marianus lib. 2. pag. 14.* Quid illa quæ hodie Venetijs colitur dicta de Schola? eam Pastor Ariminensium pecorum, ingenio & manu rusticus rudissimè formavit, sed cum vultum nullatenus exprimere possèt, eum Angelj notam juverunt, quàm pro eo totum fecerunt *idem fol. 46.*

21. Quia est Salus sibi servientium.

Mille probatum experientijs est quod S. *Damascenus in Meneis 21. Jan.* dixit. Nullus unquam ô Virgo Despara! qui ad te implorandam accurrit à te confusus discedit, sed gratiâ quam petit expressâ, mox tali donatur beneficio quod eum desiderij sui compotem reddat: illa est enim Pellis ovilla, ut *idem 22. Jan. ode 7.* quâ Adam indutus, illa Pellis Gedeon, quam revera pellem indutus processit pastor ille, qui totum me hominem superexaltat propter incomprehensam misericordiam suam. *Adhuc idem loquatur quod in eadem Menea Ecclesia Græca retulit 13. Februar.* Quicumque te sui Domini Matrem omni cordis contentione implorant, eorum tu desideria eventu plenissimo donas. *Ludovic. Blofus spec. cap. 12.* Dulcissima Maria nullum à se repellit, peccatores ad se piè & humiliter confugientes blandè suscipit, fovet, protegit, & Filio suo Maternâ fiduciâ reconciliat. Citius cœlum & terra perierit, quàm ipsa aliquem serio te implorantem suâ ope destituat. *Anselm. lib. de orat.* O Maria! tu peccatorem toti mundo despectum Materno affectu amplecteris, nec deseris, quousque Deus per te placatus ipsum suæ gratiæ recuperabit. *Bonav. in sim. Div. am. p. 3. cap. 19.* Verè Domina Regina est misericordiz, quia non est in hac vita, sic desperatus, sic miser, cui non impetres misericordiam Salvatoris, si ad tuum reclinabit regimen. *Idem in spec. Virgin. cap. 5.* O verè magna Mariæ gratia, quam multi ex eis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctoribus & Rectoribus tanquàm incorrigibiles relinquuntur. *Et cap. 7.* Maria est signata per illam mulierem *4. Reg. 4.* cui clauso ostio domus suæ omnia vasa intus congregata, facta sunt miraculosè oleo plena; ad multiplicationem olei, vasa eriam vicinorum non pauca collecta fuerunt, idèò quoq; per vasa illa omnes signari possunt, qui plenitudinis misericordiz Mariæ particeps sunt. *S. Brigitta 1. Revel. cap. 32.* Quod attrahit aliquid est proprietas naturalis; sic apparet de Magnete attrahente ferrum, & idèò ipsa Virgo nos ferreos, id est in malo obstinatos, & duros debet attrahere propter proprietatem suæ misericordiz: sicut enim Dei proprium est semper misereri, & parcere, sic etiam & Matris ejus. *Richard. à S. Laurent. lib. 4.* Misericordia ejus & gratia communis est omnibus eam invocantibus in veritate, quasi dicat cum Filio Joan. 6. *Eum qui venit ad me non ejectionem foras.* Undè meritò

Mm 3

compara-